Fragmentarium

Ut medici referunt, et ut esse probatur aperte
Urina fit humano digestio corpore certe
Prima que de stomacho fit, in epate fitque secunda.
Tercia fit in membris reliquis cum sanguinis unda
Epate formatur currit per corpus alendum.
Quo quocumque modo fiat nunc est referendum.
Cum primum stomachus inmissa cibaria captat
Illa tenet coquit atque parum. sic atque coaptat
Ut sint in forma tysane tunc ipsa redacta.
Hec prima modo stomacho fit coctio facta.
Hinc intestinum portanarium que vocatum.
Per ipsum capit a stomacho sic cocta meatum
Hic portanarium sua per loca concava plenum
Dirigit hoc eadem cui iungitur in duodenum.
Hoc postquam recipit duodenum mittit amico
Ieiuno. quod est in eodem proxima vico.
Hic in ieiunum directa cibaria tandem
Non permittuntur transire viam per eandem.
Namque quod ex illis ibi durum et quasi fex est
Huic ad secessum descendere propria lex est.
Purior hinc remanens pars et sincerior in
Epatis affertur in concavitate deinde
Illud ibi coquitur coctum formamque priorem
Desinit. assumens formam propriumque colorem.
Sanguinis. atque tamen simul humorum reliquorum
Ut nichil hoc aliud sit quam generatio quorum
Alter ex illo genitis humoribus istis
Colericum capit in se fellis cistis
Durum et gravius. quod ibi quasi fex generatur
Splen recipit veluti galienus testificatur.
Flecmaticum remanet cum sanguine comoditate
Nimia cuius quia sanguis cursilitate
Corporis ad partes fluit omnis ut foveatur
Corpus eo. densus ne dum fluat impediatur
Sed de flegmatico quod aquosius est ad ibidem.
Ut galienus ait medicus mirabilis idem.
Ad quandam venam greco sermone vocatam.
Quilyn dirigitur iuxta spinale locatam
Per quosdam tenues venas similesque capillis
Unde capillares vene dicuntur ab illis.
Et quoniam debent ut cetera membra foveri
Posteriora refert fide galienus habi
Illi flegmatico partem de sanguine mixtam
Sanguinis ut partem bene sit nutrita per istam;
Hic ita directum quilyn sibi suscipiente
Sanguinis et partem per illam distribuente
Membris ut breviter paulo non diximus ante
Pars remanens quilyn vel tunc iter in parante
Mittit ad renes. quorum calefacta cruore

Est urina suo proprio discreta colore
Hinc ad vesicam veniens. ibi pluribus horis
Stans tandem urgente propriis est reddita poris
Et quia natura nichilum quandoque molestat
Atque in syntoma malum quandoque superstat
Inde bonam quandoque malam cum non videamus
Urinam que sit bona non notum faciamus.
Est urina bona substancia cum moderata
Illius est non pinguis non nimis attenuata.
Cum rufo vel subrufo formata colore
Illius et sedimen cum parte sit inferiore
Album continuum divulsum parte nec ulla
His urina simul concerta manens mala nulla
Et quoniam tenuis prius liquor est aliorum
Cumque sit albedo cunctorum prima colorum
Hec duo iungentes habeant quid significare
Nos exponemus in primis notificare.

DE TENUI PAUCA ET AQUOSA.

Principio febris medice si forte videbis
Urinas tenues simul et paucas et aquosas
Materiam crudam multam parvumque calorem
Istius urine causam non ambigitur esse.
Nam quod aquosa venit. quod pauca. quod attenuata
Signat quod sit decoctio debilitata.
Hoc est quia debilis est calor. unde
Non coquit epar. et cibus est quia multus habunde
Nam non congeries foret inmoderata ciborum
Commutata forent color et liquor atque eorum
Sed quia nil horum tandem diversificatur
Constat. nature calor hinc quia debilitatur
Hec albedo que est tanta tenuisque liquoris
Indigestam crudam causam notat esse caloris
Quam multam si sic febre declinante videbis
Dicet febrilem tunc discessisse calorem.

DE TENUI CAROPO SUBPALLIDA.

Hec tenuis caropos subpallida pallida glauca
Monstrat disiuncti mutata coloribus istis
In vires utcumque suas redisse calorem.
Materiam crudam nondum spissare valentem;
Est et tenui levius satis inmutare calorem
Materiam quam per parvum densare calorem.

DE TENUI RUBEA VEL SUBRUBEA.

Hec cum subrufo vel rufo ducta colore
Indicat ydropicis mala plura manente tuore.
Est par enim puerorum paulisper febricitat;
Unde boni color hoc hanc urinam comitatur
Quelibet ydropicis hoc tincta colore minatur.
Sic et aqua nimis veniens huic auxiliatur
Hec expe scire medice per eam quam cernit aquosam.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.26, 2r – De 12 lapidibus pretiosis; Isaac Judaeus, Practica (Constantinus Africanus' translation); Medical recipes (https://fragmentarium.ms/view/page/F-if2n/5257/49901)